

III.

NEOVIDENSIS

Nro. 105. (*Neovidensis* 1806. Nro. 99.)

Ex Campis Elysiis
Dissertatio Politica
De frequenti usu medicinae.

Elysiu--Meum. -- Die Martis 23. Decbr. 1806 (*Neov.* 9. Dec.)

Sententia:

Medici omnia media conquirunt,
Et naturam in suo esse relinquunt.
Ideo svadeo potatori, quod didici esse verum:
Quod multum, multum, hoc est stultum.

*Jucundum Rhenanum canticum
potatorum.*

Nos sumus misera, fragilia vasa; Quaevis
circumstantia, quodlibet factum, quaevis su-
bitanea mutatio, quodvis ferculum, ipsi ad-
eo acidi caules, et placentae; quivis politi-
cus eventus, amissum praelium, vel relata
victoria; quaevis domestica contentio, ma-
la uxor, malus vicinus, quaevis ocrea, vel
calceus, qui nos premit, quodlibet adultera-
tum vinum, et nimium salsum jusculum,
quaevis delusa spes, et imminens malum,
imo etiam oratio in templo dicta, et quid-

armorum societatem conflata. Advolaverat quidem arci in auxilium equitatus Borussiae, sed retrusus est, praeter complures equites, duo Officiales venerunt in captivitatem; atque e vestigio missae sunt in provinciam auxiliares copiae gallicae. Ipso hoc die declarunt incolae Generali Dombrowski, se non tantum ratam militum, ipsos concernentem, statuturos, sed eosdem etiam indusiis, calceis, vestitu, & unius mensis stipendio provisuros. Posnaniensis Palatinatus intra 14 dies collegit 8684 tirones, & 1822 equos; Legiones parantur Gnesnae, Rogasnae, Ravicii, & Kostnae. Die 20. ab Ablegatis, qui Berolinum ad Imperatorem concesserant, laetissimus nuncius huc perlatus est, eos fuisse a Caesare longe benignissime habitos. Fervor quam velocissime erigendi nationalem militiam nostros cives utriusque sexus ad immensos sumtus faciendo induxit. Caesareus Princeps Joachimus, Magnus Dux Cliviae, & Montis hodie nos invisit. Gallicae copiae jam trajecterunt Vistulam, in dies expectamus eas etiam Varsoviam ingressas esse. Die 18 manipulus ex 100 gallicis venatoribus, & 150 Polonis compositus se ante Czenstochoviam collocavit, ubi mille circiter Borussiae cum 26 tormentis excubabant. Praefectus militiae gallicae jussit noctu magnos fieri circa munimentum ignes, ut obsessi sibi persvadeant adesse & peditatum, & rem tormentariam: successit stratagemata; sequenti die mane se dedit Guvernator; Praesidium tradidit arma, Officiales retinuerunt gladios.

III.

NEOVIDENSIS

Nro. 105. (*Neovidensis* 1806. Nro. 99.)

Ex Campis Elysiis
Dissertatio Politica
De frequenti usu medicinae.

Elysium--Meum. -- Die Martis 23. Decbr. 1806 (*Neov.* 9. Dec.)

Sententia:

Medici omnia media conquirunt,
Et naturam in suo esse relinquunt.
Ideo svadeo potatori, quod didici esse verum:
Quod multum, multum, hoc est stultum.

*Jucundum Rhenanum canticum
potatorum.*

Nos sumus misera, fragilia vasa; Quaevis
circumstantia, quodlibet factum, quaevis su-
bitanea mutatio, quodvis ferculum, ipsi ad-
eo acidi caules, et placentae; quivis politi-
cus eventus, amissum praelium, vel relata
victoria; quaevis domestica contentio, ma-
la uxor, malus vicinus, quaevis ocrea, vel
calceus, qui nos premit, quodlibet adultera-
tum vinum, et nimium salsum jusculum,
quaevis delusa spes, et imminens malum,
imo etiam oratio in templo dicta, et quid-

quidquid praeterea cogitari potest, vehementer agit in nostram valetudinem. Quid fit? Vocatur medicus, qui comparet, et praescribit, venit iterum, iterumque ordinat, quid agendum, et sic multi plus vivunt ex latina, quam germanica, vel hungarica culina.

Dabo exemplum imaginatione laborantis aegroti ex proprio, quod reliquit, fragmento. Ipse autem loquatur:

Mea utique erat culpa, lamentabatur; quod eo magis auget meos dolores, me gaudia vitae praecoccupasse, meque totum in juvenili aetate enervasse. Nondum attigeram tricesimum aetatis annum, et jam molestissimi cruciatus corpus vexabant. Cor mihi palpitabat veluti scelerato; aegre ducebam spiritum, ac si fuisset Sisyphus saxum volvens; tristes dies exceperunt miserabiles noctes, quaerebam solitudinem, sed me ipsum devitare non potui. Quidam gallicus medicus mihi fidem fecit; mihi nihil aliud deesse, quam quaternam per annum venae incisionem; Tui humores, inquit, coquunt, et bulliunt; venae turgent, nervi intenduntur, pulmones opprimuntur. Ejus consilium secutus sum multis annis, sed malum majora cepit incrementa.

Deo gratias agito, quod vivas, scripsit mihi alter practicus, venae sectio est lenta

Natura, quae alias omne superfluum eiecit, ut nosti, sanguini consuetum exitum non aperuit. Hac de causa machina tua tabescit, necessario enim humore, sanguine, et oleo destituitur. Stomachi vires debilitatae sunt, qui propterea in locum nutrimenti occultum parat venenum. Summe itaque meas guttas, quae, absit omnis jactantia, mirabilia producunt, deinde utere antiquo generoso vino. Haec curatio primum profuit, sed non erat diuturna, nam sequenti mane, antequam guttas deglutirem, pejor habui, quam unquam alias; a meridie vero cum vapore vini vis quoque corporis diffluxit.

Hoc alter, ajebat meus Clarissimus Professor, nullo negotio intellexisset. Namque violenta remedia in eadem proportione frangunt vires; Nervi tui irritati solummodo sunt, non vero firmati. Tuae guttae sunt species aquae vitae, vinum autem non est amplius verus uvarum succus, sed corrupta, fermentata, et saepe arsenico et saccharo Saturni condita infusio, potus, qui morbos creat, et alit, quo providentia ita utitur, sicut peste, et bello ad faciendum novis hominibus locum. Aqua, tibi bibenda est. Quapropter instar Danaidum replevi mea vasa aquis, extendi uti siphones mea viscera, propterea tamen vires non collegi, debilior fiebam in dies, ut tandem skeleto similis evaserim.

Amita mea, modesta vidua, juvenem suum domus medicum ad me misit, qui mihi novam vivendi praescripsit rationem. Qui te curarunt, dicebat, morbum tuum violenter adorti sunt, lentius procedendum est, tuoque stomacho majori attentione blandiendum. Bibe lac, hoc enim jam magna ex parte sanguis est, in quo in Chylum formando natura parum fatigatur; abstine a carnibus, hunc enim sangvinarium gustum non nisi abdomini nati induxerunt. Non sumus tigrides in silvis oberrantes. Longe saniora alimenta nobis suppeditat Regnum vegetabile, quod integrae nationes viribus valentes suo exemplo abunde testantur. Mihi nihil pejus conduxit, quam ista Diaeta. Circa idem tempus incidi in librum medici Edenburgensis, qui omnia, quae natura ad vescendum apta proponit, sana esse hominibus affirmat, integrum nobis est, ita ille docet, absque omni periculo tam apud Curaecos, quam Hottentottas parasitos agere; Copia tantum nocet, non vero varietas; Haec saepenumero prodest, nam unus cibus tollit noxium effectum alterius, v. g. Alkali carniū mitigat acidos plantarum succos. Vera stultitia est prohibere esum carniū, quae facillime nostrae substantiae assimilantur, quas ventriculus noster appetit, et pro quibus mandendis instructi sumus dentibus. Nos Brittanni vescimur carnibus, et sumus nervosi, abundamusque sanguine, ac in

quocunque climate sumus senes ; sed etiam in ultimo bello in Indiis gesto experientia docuit, ingentem Banianorum exercitum fuisse a parva manu carnivororum profligatum.

Viri hujus tolerantia mihi majorem in modum placuit, usus illa sum, sed spes me frustrata est, probabilius quia natura mea jam dudum arte, et consuetudine a recto cursu detorta est.

Praeterea diversas etiam adhibui medicinas, sumsi chinam, succum herbarum, assam foetidam, pilulas saponaceas &c., prout nimirum metuebam imminere vel phthisim, vel hydropem, vel icterum, vel aliam infirmitatem. Cum etiam statum mei morbi in variis libris de fontibus salutaribus conscriptis curatum repererim, jam a 10 annis bibo minerales aquas, sicuti occurrunt in tabulis geographicis.

Praeterita aestate Pymonti accessit me species macie exesa, et refugientibus introrsum oculis praedita, trementeque voce ex me quaesivit: Lavistine jam corpus in frigido balneo? Hoc roborat mirum in modum — quo dicto exanimi similis corruit. Non nego virtutem aquae frigidae. Vivere in aqua, ait Mailletus, est frui aura natali, fierique potest, ut subinde quidam invalidius dies fastidii plenos prolonget. At mihi cura haec salutem non at-

tulit, quin potius refrigerationi inde natae meos adscribo dolores rheumaticos, quos amplius nec sinapismi, nec vaporis balneum, nec ullum aliud calidum tollere potest.

O Æsculapii! nolite indignari, quod mea de arte vestra concepta opinio incipiat vacillare; ita etiam invehitur in proxenetas infelix creditarum pecuniarum lusor in *Change Alley*! Vos quidem saepe juvatis, si valida febris corripiamur, si natura tantum oppugnetur, et non sit labefactata; sedatis primos motus, imo nonnunquam etiam flammam restingvitis, quae ex omnibus prorumpit contignationibus, dummodo aedificium sit adhuc firmum. Verum si fundamentum labascet, si putredo occupet intestina, si chronicum malum spiritus vitales aggrediatur, tuncne etiam opitulatur misero Hygia? Daturne scientia, quae oppressam erigat naturam? vel si ejus adhuc gliscit scintilla, numquid dicat prudentia, ut per medicamenta extinguatur? ut natura in suo cursu turbetur? Et quotus quisque ex innumeris remediis eligit salutaria? pleraque commendat receptus tantum usus. Quanta occurrunt medicamina inde a transfusione usque ad jusculum Pommaeanum (erat Pommaeus medicus Parisinus, qui omnes morbos jusculo pullorum curabat (in solo Regno vegetabili tot salia, aquae gummatae, metalla, et ve-

nen
sinos
verm
viper
cum
jicitu
svad
cent
nism
nus
ille
tum
et s
lare
rem
pere
mut
sim
Qui
solv
dun
app
bili
der

mar
asp
om
ce
ten
Fa

nena? Sequentia jam exoleverunt: aqua resinoso, cicuta, glandes, Guajak, Scarabaei, vermes, Bella Donna, jusculum paratum ex viperis, et lac asininum. Quassia concertat cum cortice peruviano, mercurius autem rejicitur. Dominicetti pro omnibus casibus svadet fumigationem, alii magnetismum, vim centrifugam alii: alii denique laudant galvanismum. Vae tibi aegroto, si incidas in manus medici, qui te ut *Apparatium* spectat, ille etenim jucundum in te capiet experimentum, quas subeat tuus color, pulsus, sudor et spasmi vicissitudines. Si tubuli tui capillares laborent obstructione, praescribuntur remedia resolventia. Haec in stomacho cum peregrinis succis commixta, sexcenties immutata, et in mille canales distributa millesima sui parte sufficiant resolvendo malo? Quis vero praestat securitatem per fortia resolventia non eventurum majus incommodum. Scitisne efficax opobalsamum interno applicare vulnere? nervos convulsionibus debilitatos corroborare? iisdem pristinum redere vigorem?

De Bergero, et Zimmermanio, viris humanissimis, scribite librum, qualis nondum aspexit lucem publicam. Vos inquitis in omnia spiritu hippocratico, sentitis magnifice, spernitis systemata vana, amatis veritatem, cordi enim vobis est genus humanum. Fateminor orbi defectum vestrae scientiae.

Describe sanabilium morborum certa symptomata, adnotate indubitata remedia, in casibus autem dubiis relegate aegros ad sinum benigne naturae, quae saepe citius relevat, quam ars, certe rarius opprimit! Et profecto volumen non erit magnum. — Quidam magni nominis Anglicus medicus promisit se totam, et quidem accurate demonstratam artem medendi in una chartae plagula editurum. Haec sit, futuri medici! vester codex, quae si publici juris non fuerit facta, auctor sum, quod Sydenhamius svasit Blackmorenio: Nullum alium volvo librum, quam inscriptum: Don Quixotte.

Contra morbos politicos, in bellis consistentes inventum est citissime sanans remedium, et quidem heroicum. Si oriatur bellum, finitur intra spatium 4. hebdomadarum, sufferturque politica aegritudo. In locum membrorum amputantur aegro aliquot provinciae, et vita continuatur.

Talem habuit exitum bellum Borussicum, amputationes sequentur. At novum occipit bellum contra Russos. Graudentium, et Thoronium occupata sunt; Propositae induciae non sunt acceptatae, quod Russi morerentur adhuc in Prussia orientali. Circumferuntur rumores de commisso ad Varsoviam proelio, sed omnes sunt incerti.